

JUVA JOVA!

PASTORUM AC DIACONORUM, KREIBENSIUM
ET ALTENLOHMENSIUM

IN CIRCULO HAYNOUIENSI DUCATUS LIGNICENSIS

MEMORIA

BREVI COMMENTARIO EXCUSSA QUO AMICO VNICO SUO

VIRO REUERENDO, AMPLISSIMO DOCTISSIMOQUE

**JOHANNI ABRAHAMO
MICHAELI, A.M.**

ECCLESIAE, QUAE CHRISTO IN HOCKIRCH PROPE
LIGNITIUM COLLIGITUR PASTORI

VIGILANTISSIMO

Ad. IX. Kalend. Nou. A. O. R. MDCCXLIII.

SACRA NUPTIALIA

KREIBAE,

CUM VIRGINE

*NOBILISSIMA, OMNIBUSQUE SUI SEXUS VIRTUTIBUS
ORNATISSIMA*

SUSANNA ELISABETHA,

VIRI ADMODUM REVERENDI AMPLISSIMI DOCTISSIMI

GODOFREDI FEIGII, A. M.

PASTORIS ECCLESiarUM VNITARUM IN KREYBAU ET

ALTLOHM MERITISSEMI

FILIA VNICA DILECTISSIMA

CELEBRANTI GRATULABATUR

ADAMUS GODOFREDUS THEBESIUS

PASTOR ORATORII EVANGELICIS SACRIS

AUCTOR.

X 2

Tibi

Hist. Siles.

170,40

Vol. 414

VIRIS

ADMODUM VENERANDIS AMPLISSIMIS DOCTISSIMIS

M. GODOFREDO FEIGIO,

COETUUM SACRORUM KREYB. ET ALT-LOHMENS.

PASTORI LONGE MERITISSIMO

OMNI VENERATIONIS CULTU PROSEQUENDO

ET

M. JOAN. ABRAH. MICHAELI,

ECCLESIAE, QUAE HOHKIRCH. CHRISTO COLLIGITUR

PASTORI VIGILANTISSIMO

FAUTORI ET AMICO IN PAUCIS DILECTO

HAS PAGINAS

SINCERÆ PIETATIS

FUCIQUE EXPERTIS ANIMI

SEMPITERNUM MONUMENTUM

EXSTARE VOLUIT

OMNIGENÆ FELICITATIS INCREMENTA

OPTATISSIMOS PRÆSERTIM LABORUM SACRORUM

SUCCESSUS

ILLIBATAS ANIMI, CORPORISQUE VIRES

IN SUMMI NUMINIS GLORIAM

ANIMARUM EMOLUMENTUM

PROPINQUORUM SOLATIUM

TOTO PECTORE ADPRECATUS

*VIRI
ADMODUM REUERENDI CLA-
RISSIMI DOCTISSIMI.*

*FAUTORES FILIALI ET ERATERO AMORE
ÆTERNUM PROSEQUENDI.*



Tædas, facesque Græcos olim in ritu nuptiarum
Convivis suis gestandas tradidisse, Euripides
in Phœniss. observavit. Hæ faces ex pinu,
spina alba, variisque arborum generibus factæ, claritate
& serenitate coruscantes auspiciatissimum conjugii even-
tum pollicebantur. Mihi potius in Vestris nuptiis Lu-
mina Majorum e stirpe sacerdotali Vestra Tædarum loco
accendendarum eruere liceat.

Noſti Venerande Senex, TE ex celeberrima DEI
sacerdotum Proſapia ortum fuiſſe. Gratulos hunc honorem
imo gratulor Familiæ incrementa hodie ex voto allata, &
adhuc acceſſura, feliciffimo fœdere Nuptiali vnicae &
lectiffimæ Filiaæ Tuæ cum fidiffimo Achatemeo, Tuo Mi-
chaele, quæ propriis vt oculis cerneret DEUS TE Gra-
viſſime Senex ad hanc ætatem perduxit: Det DEUS, vt
gaudium incredibile quo nunc pectus tuum perfunditur
novas corpori vires addat novoque id robore induat, vt
ætatem Majorum Tuorum adæquare imo ſuperare valeas.

Tibi vero, mi Damon, mi Pythias, Frater in CHRISTO
conjunctissime quid optem? Et Tibi, hæc non obvia ubi-
que fortuna templum honoris pandit, quo memoriam Ab-
avorum Proavorum ac Patrum viridem vegetamque in
Propilæis Domini conspicere poteris. Tu Patris Tui In-
dulgentissimi Magni Schwidnicensium quondam Theologi
vestigia clara secutus, a tenerisq; DEO ejusque Ministerio
dicatus ad gravissimorum munerum Ecclesiasticorum ad-
ministrationem in viridi juvena evectus fuisti, tantam
pariter in docendo & agendo dexteritatem & solertiam
ostendens, vt non possimus non præclara quæque de futuris
Tuis laboribus eorumq; fructu & successu ominari. Accipe
nunc præmia gratiæ divinæ de cælo impetrata in lectissima
tua Conjuge. Gratulor itaque Tibi Clarissime Michaelis ex
imo pectore, Deumque precor, vt huic Te novo gaudii ho-
norisque augmento, quo hodie inter tot plausus nuptiales
corruscas, in feram vsque senectutem superstitem esse velit.

Quorsum igitur Tuum nomen hic prostat? Ut cum
nostra ἀδελφίσει, meam φιλαδελφίαν intemeratam contester,
vt & posteritas communionem nostram, nostrumque amo-
ram jam inde a prima pueritia in animis ac studiis agnoscat:
vt sim memor usque tui, sis memor usque mei.

Nescio,

* * *

Nescio, quo diro factum fuerit fato, vt, cum SILESIA nostra vberi Virorum in quovis Studiorum genere in Theologicis Juridicis Medicis Philosophicis Historicis Criticis ac Poëticis clarissimorum proventu, palmam regionibus aliis, si non præripere, dubiam certe facere possit, eorum tamen memoriam; haud levi sui dispendio perpetuæ fere oblivioni mancipari patiatur. Inculta non penitus equidem jacet, ipsa quorundam Virorum toga Sagoque illustrium nec non vnius alteriusve Eruditi in doctrinis sacris ac profanis nostri Silesiæ Ducatus Historia, quorsum spectant: partim in Lucem edita *Monumenta ac Vita Curricula Illustrissimis & Eruditissimis Silesiis erecta & a Viro Illustri JOH. JAC. FULDNERO in Bio- & Bibliographia sua Silesiaca* p. m. 28. in Ordinem redacta partim scripta adhuc in edita *Historiæ Silesiorum Litterariæ*, quorum seriem haud exiguam vide sis in *Rhonii & Rungii Miscellaneis litterariis de quibusdam ineditis Historiæ Silesiæ Scriptoribus*. Attamen sane post tot tantosque præstantissimorum Virorum Labores etiam nunc solida, Historiæ patriæ Literariæ ignoramus principia, præsertim, quod attinet Historiam Silesiæ Litteratæ Ecclesiasticam. Equidem Historiæ Ecclesiasticæ Literariæ Ducatus nostri affundere lucem cœpere Viri quidam in Historia Patria peritissimi: Scilicet *SINAPII, HANSII, PANTKII, KESLERI, REIMMANNI, CRUSII* *) nec non Scriptores Rerum Novarum Silesiæ Litteratæ,

)(3

teratæ,

*) Otium nobis fecerunt in enumerandis Historiæ Literariæ Silesiorum Scriptoribus supra Laudati excellentissimi Viri: Fuldnerus, Rhonius ac Rungius locis & libris citatis, adde si placet, *Gelehrte Neuigkeiten Schlesiens* An. 1734. vsque ad An. 1740. & 1741. edita ac absoluta, nec non *Conradi Silesiam Togatam* edit. Lign. 1706. *Casparis Eberti Past. Zdunens. in Polonia Peplum bonor. Ingen. Goldberg. Olsnæ* 1704. *Ej. Ceruimontium Literatum Cent. I. Wratisl.* 1726. *Ej. Leorinum eruditum Wratisl.* 1714. in 4. nec non *Theodori Crusii s. Krausens Historiographi Siles. optime meriti Literatos Schwidnicenses* L. & Schwid. 1732. in 4. & plures adhuc alios. Inprimis huc pertinent Scripta edit. Viri in *Hist. Patriæ* Versatissimi & meritissimi *D. Kasp. Lindneri Senatoris M. edici ac Practici insignis Hirschbergenfis*, cujus præsertim merita in cineres Cygni Silesiorum *Martini Opitii* nec non *Biographiæ Fruditorum variorum Novis Litterariis Silesiacis insertæ* ex veritate ab omnibus æstimantur.

teratae, & qui non ultimo numerandus loco *M. JOAN. DAVID MATTHÆUS Hermsdorffienſium* in agro Goldbergenti Paſtor meritiffimus Fautor & Frater in ſacro munere Honorandus in *Memoria Paſtorum Hermsdorff* Anno 1736. Laubæ Luſat. in 4to edita, quippe qui Viri præſtantiffimi integram Doctorem Evangelicorum cujuſlibet in patria Eccleſiæ Hiſtoriam, continua ſerie nobis expoſuerunt.

Hinc & ipſe, tot tantorumque Clariffimorum virorum in erudendis Antecellorum monumentis induſtria excitatus, jam ante aliquot annos in ſacro Kreybæ & AltLohmii munere adhuc conſtitutus, in animum induxi, numerum & vitas Paſtorum Kreybenſium & AltLohmenſium, quotquot eorum poſt reſtaurata per b. Lutherum ſacra uſque ad noſtra Tempora in munere ſacro ibidem Eccleſiis Chriſti inſervierunt omnibus veſtigiis indagare.

At vero parum abeſt, quin deploratam dicam literariam patriæ Hiſtoriam? præſertim quod attinet ſeriem Paſtorum in agris præcipuorum Sileſiæ Ducatum a tempore reformationis conſtitutorum. Non eſt tam abjectus ullus Sileſiæ angulus, qui non inſignem Virum aut protulerit aut ſuſtentaverit. Quantum autem horum eſt, quod ad noſtram pervenit notitiam? Sunt, quæ ſervarunt nobis & ab interitu vindicarunt Diptycha quædam Eccleſiarum in Ducatu Lignicenſi, & eſſent forſitan plura, niſi præſertim belli tricennalis aut incendiorum flammarumque injuria nobis plurima documenta abſtuliffet. Et quæ ad huc ſuperſunt pauciſſima, levidentia plerumque atque proletaria, exigui ſunt momenti, vix præter nomina Theologorum aliud quid tradentia.

Spe itaque fere excludimur, fore vel tandem, ut exoriat majorum ex offibus ultor aliquis, qui ex voto deſideriis noſtris ſit ſatisfactorus. In nemine certe ſi quis adhuc ſuperſit, (memoriam Theologorum prioris ævi vindicaturus,) majorem in modum confidere poſſimus, quam in Viro noſtra ætate grauiffimo ac rei litterariæ peritiffimo ſumme Venerando SCHARFFIO Theologo Schwidnicenſi omni venerationis cultu proſequendo, cujuſ vero jam exantlatæ in munere Inſpecto-

ſpecto-

ſpectoris Eccleſiaſtici vires inexhauſtum in ſtudium patriæ amorem
ulterius proſequendum fere prohibent, ita, vt de ulteriori nobis labore
hoc in argumento aliquid vix polliceri poſſimus. *)

Facile ergo hiſce motus rationibus, perſuaderi mihi fui paſ-
ſus, vt hunc in me ſuſcipere laborem exiguum ſim conatus, cui ſi
non eruditione debita, indefeſſa tamen quantum fieri potuit in con-
quirendo diligentia, deſiderioque quibuſcunque rem litterariam pro
virili promovendi modis parem omnino me fore confido.

I.


Patefacta itaque hiſ in oris Evangelii luce, primus quantum
erui potuit, Paſtor Evangelii in Eccleſia Kreybenſi & AltLohmenſi
factus eſt:

JEREMIAS HEINRICUS,

Hirſchberga - Sileſius natus in inclyto Javorienſium emporio, pa-
rentibus nobis ignotis Anno MDXXXIV. Litterarum tirocinia ſine
dubio in Lyceo Patrio Hirſchbergeniſi poſuit, in quam vero Aca-
demiam ablegatus fuerit, quoque loco ſacro initiatus officio, penitus
ignoramus. Tantum nobis de ejuſdem ſacri muneris administra-
tione patet, quod ab Anno 1560. vsque ad annum 1598. hic ſubſtiterit
& verbum divinum poſt repurgatam Eccleſiam primum rite prædica-
verit. Anno autem 1598. in Terram Paſchkerwicenſem Ducatus Sileſiæ
Oſnienſis vocatus, Paſtoris munere functus, Animam Chriſto reddi-
dit 1606. æt. 72. min. 52.

Epitaphium ejuſ in templo Paſchkerwicenſi adhuc exſtare
dicitur, cujuſ inſcriptionem Præceptor olim noſter *M. David Zellerus*
Collega Lycei Hirſchb. appoſuit in *Hirſchberg. Merckwürdigkeit. P. I.*
p. 79. in hoc Epitaphio nominatur Theologus ob grauitatem ſimul &
humanitatem venerandus.

*) Nemo ignorat ſupra laudati Venerabilis Scharffii in rem litterariam merita præſertim
in jam citatis Nouis literariis Sileſiacis Annis 1734. & ſequentibus editis, quibus
addatur, iterum e Muſeo Scharffiano edita Epiftola Ambroſii Moibam, Conſola-
toria ſcripta ad Chriſtianos qui Turcarum tyrannide affliguntur Lign. 1740.
Adjecta Vita Moibam, item Joh. Gigantis.



II.

JOHANNES KIRCHHOFF.

Successor Heinrici, qua sub regione cœlis vitales primum Noster Kirchhoffius hauserit auras, non exquirere potui. Natus vero Anno 1557. & Anno 1581. vocatione accepta ad Pastorum Zedlicensem in Ducatu Wolaviensi sacro ordini adscriptus, septimo Ministerii anno Pastoris spartam in Ducatus Javoriensis pago Wutzdorff dicto, subiit, & inde iterum An. 1599. ad Ecclesias Kreybensem & AltLohmensem Pastor rite vocatus ultimo loco per 6. annos docuit sacroque officio rite peracto, die Dominica Reminiscere die 6. Martii A. 1605. diem obiit supremum æt. 48. Breve hoc Kirchhoffii Vitæ curriculum ex Epitaphio in Cœmeterio Kreybenfi Templo affixo exornatum est.


III.

PAULUS HOFFMANNUS.

Qui Kirchhoffium sequitur, Vir notatu dignissimus, Boleslaviam agnoscit patriam oppidum Silesiorum ob Martini Opitii natiuitatem omnibus etiam exteris eruditis notissimum. Hoffmannus noster natalem vidit diem 1580. Hic, peracto studiorum curriculo A. 1599. Pastor Lichtenwaldensis in Districtu Boleslavensi factus, annis sex ibidem præter lapsis, in his Terris Euangelii doctrinam ab Anno 1605. vsque ad Annum 1637. per triginta & quod excurrit annos propagavit, tandemque valetudine corporis oppressus in viuis esse desit Anno 1637. æt. 60.

Hoffmannum nostrum Virum in diuinis scriptis eruditum, secularis litteraturæ non ignarum fuisse accepimus, in primis vero ingenio excellentem, cui fortasse nimium indulgit: Hinc sine dubio nimium studio Astrologico deditus, varia vaticinia in lucem protulit ac manuscriptis reliquit, quæ etiam aliquando parieti sacelli Templi Kreybensis insculpsisse dicitur. Ex quo factum, vt tandem in numerum Fanaticorum peruenerit: Conferatur de hoc Paulo Hoffmanno

Diss.



Dissertatio B. D. Wernsdorffii de Fanaticis Silesiorum Wittebergæ A. 1698. die 22. Oct. Respondente M. Gottlieb Liefmanno habita, in qua Num. XIII. de nostro Hoffmanno tale iudicium legendum. *)

Cæterum de nostro Hoffmanno adhuc sequentia annotari merentur: Quod scilicet & hic Pastor autor suaſorque noui Pagi Pohlswinckel dicti & Diœceſi AltLomenſi inſerti nomine ab ipſo accepto, fuerit.

Nemini ignotum, Majores noſtros, tum Nobiles tum Paſtores ſuos raro vt noſtra ætate Cognomine, ſed plerumque Nomine in ſacro fonte accepto, compellare ſolitos eſſe: Ideo & noſter Anteceſſor non Hoffmann, ſed potius more ſolito Herr PAUL nominatus, tandem per contractionem ex Paulo Pohl nomen accepit: Hic itaque Paſtor, Herr POHL dictus, Amico ſuo integerrimo Conſuli Haynouienſi ſecum ambulanti in ſylua adjecta, conſilium dedit, plures ad augendum Eccleſiæ cœtum exſtruendi domus, Conſul itaque accepto conſilio hic & inde contectas ſtramine caſas exſtruxit ac viculo nomen Fundatoris POHLWINCKEL impoſuit.

IV.

GEORGIUS BRAUNER. *Leorinus.*


Ordine Hoffmanno ſucceſſit, ortum noſtro dedit Leoberga, celebris quondam Sileſiorum vrbs. A. R. S. 1597. die 25. Maji, ſtudia

)(5

in

- *) Prophetis jure merito annumerantur illi, qui curioſius in futura inquirunt, & ex naturali cœli, ſiderumque motu & ſitu rerum mere contingentium cauſas arceſſunt. Nomino ex his PAULUM HOFFMANNUM, Bolesl. Anno 1605. Kreibenslem ad Eccleſiam non procul Hayna vocatum Paſtorem. Hic aſtorum ſtudiis nimium, quantum incumbens ad illud tandem dementiæ faſtigium deuenit, vt ex judiciaria, quam vocant ARTE ASTROLOGICA talia mortalibus prænunciare auderet, quæ ſibi ſolus DEUS rerum optimus arbiter reſeruauiſſet & hominem vetuit in ea inquirere. Scripſit ex eo Prognostica quædam de Judæorum Conuerſione, de die Judiciæ extremi, & aliis argumentis, quæ ſupremus Magiſter nos ignorare, voluit, hinc recte de eo Senſtleben in Pepslo Ingenior. Boleslav:

*Theiologum voluit, noluit tamen eſſe Prophetam,
A Jona haud cunctis noſſe futura datur.*




in Wittebergensi profecutus Academia per tres annos, sacerdotalem accepit confirmationem Lignitii Anno 1633. d. 22. April ad Pastorum Lange-Neudorffensem in Districtu Leobergensi vocatus. Post duorum vero annorum spatium, Diaconus Leorinus in vrbe patria factus, per que tres annos in turbulento tunc temporis Ecclesiæ Euangelicæ statu puram Euangelii doctrinam confessus, ac Exul Jesu Christi & Patriæ factus, Laubæ Lusatorum quorsum se contulit, 2. Annos vixit: Donec tandem prouidentia diuina fretus 1638. noster Braunerus Euangelii Pastor in nostris terris constitueretur, vbi Pastorale officium harum Ecclesiarum per XXXIII. Annos fideliter gessit, & beate in Domino peracto laudabiliter vitæ curriculo an. æt. 73. obdormiuit. Monumentum Braueri Sepulchrale in Via Cæmeterii Kreybensis ad latus finistrum a quolibet legi poterit. Fuit Noster Braunerus præclarum inter Doctores Euangelicos Silesiæ tunc temporis Lumen, Vir in diuinis scriptis eruditus, vita & conuersatione præclarus, ac Vir laude sua dignus, qui multa calamitatum genera expertus est.

V.

M. THEOPHILUS FEIGE.

Theologus grauis, facundus, ac candidus, optimus Braueri Gener & Successor in Pastorum. Natus Lignitii Silesiorum An. 1641. die 10. Julii ex clarissimo Feigiorum sacerdotali stemmate. Vid. Kundmanni Silesii in Nummis Tab. XLV. p. 355. quo loco splendidissima Feigiorum domus ac Familia verbis dignis atque prolixis describitur. Patre, celeberrimo Theophilo Feige Administratore tunc temporis Præsulatus Liegnicensis, Pastore ad Ædem Cathedralem S. Joh. Baptistæ ac Præsede Consistorii Ducatus Liegnicensis & Wohlauensis, Viro cui non præferendus alter. Studiis operam dedit Feigius Noster Kreybensis Wittebergæ ultra triennium, Ordines sacros accepit Anno 1667.

*) Lusus in inscriptione saxi sepulchralis, Nominis Georgii, memorabilis apprehenditur: Wartend vom Himml. Georgo Joh. XV, 1. Ackermann der Sammlung in die selige Scheuren.




1667. Lignicii in officio Pastoris Panthenauiensis in Circulo Hayno-
uensi constitutus & post biennium An. 1669. Breunero focero suo
adhuc in Viuis in Officio Kreybensi & Lohmensi sacro adjunctus,
post obitum vero Breuneri ipse Pastor & Senior Circuli Haynouiensis
factus est. Vir doctrinæ & vitæ integerrimæ, eruditus, æmulus
paternarum virtutum, Concionator suauissimus, (quod testantur in
lucem edita Scripta Funebria) non tam verbis, quam factis ipsis
auditores suos ad pietatem & virtutes omnis generis inuitauit, mo-
destus, gloriæque fugiens, clausit tandem oculos beatos Anno 1705.
die 3. Octobr. cujus memoria erit in benedictione!

VI.

M. GODOFREDUS FEIGE.

Filius & Successor Patris dignissimus, Collega & Compater
quondam noster omni honoris cultu Venerandus. Hic adhuc in Vivis
Theologus Kreybensium Maxime Reuerendus scenam hujus mundi
ingressus Kreybæ An. 1674. die 17. Septembris, Studia Academica
prosecutus Lipsiæ, qua in alma Philurea peracto laudabiliter studiorum
curriculo non solum laurea Magistrorum Lipsiensium cinctus; sed &
abolito tunc temporis Consistorio Lignicensi, ad ordinem sacrum
Ministerii euectus est, accepta Anno 1699. vocatione ad Diaconatum
in loco patrio, quo in officio vestigia paterna & auita omnium ex
voto præclare secutus est, donec Anno 1705. Patre beate defuncto,
hæres dignissimus pedum communi suffragio totius cœtus ecclesiastici
acciperet, quod jam ultra quadraginta quinque annorum Spatium non
sine omnium applausu illibatis animi corporisque viribus fruitus gessit.
Veneramur supplices DEum T. O. M. velit hunc Venerabilem senem,
Virum spectatæ vndique virtutis, facundi ingenii, eximiæ pietatis ac
modestæ in Splendidissimæ Familiæ ornamentum, Ecclesiarum suarum
solatium saluum ac sospitem diu adhuc conseruare, officiique Sacri
administrationem fructibus exoptatissimis coronare. Sequitur
nunc



SERIES PASTORIBUS AD- JUNCTORUM, SIUE DIACONORUM KREYBENSIUM ET ALTENLOHMENSIUM.

*Quam propter fugam temporis & spatii breuissimis saltem
adumbrare volumus lineis.*

Primo itaque loco nominandus erit

I.

Levinus Christianus Gryphus vel Greiff. *Seidenber-
gensis Lusat.* E celeberrimo Gryphorum stemmate
natus. Cum vero annus natiuitatis ejus nobis sit ignotus
Inscriptionem saltem imagini hujus Viri, quæ nitide ornat
Templum nostrum AltLohmense additam, recensere volu-
mus quæ ita sonat:

LEVINUS CHRISTIANUS GRYPHUS vel GREIFF.

Pastor Ecclesiarum Gerlachsheimensis in Sup. Luf. per A. 20.

Aslauenensis) Annos simul	30.
Modlensis		

Extra Ord. Adjunct. Lohmens	5.
-----------------------------	----

Exul Jesu Christi per annos	12.
-----------------------------	-----

Pastor Emeritus per annos	5.
---------------------------	----

æt. an. 72 depict. An. 1665.

Sic Oculos sic Ora ferens mi credito Lector

Symb. Gryph. 2. Tim. 1. 12. Scio cui credidi, nam

Tu mihi Principium ΘΕΟΣ & tu terminus esto


Sic quacunq; fruam forte, beatus ero.

Sub Insigniis Gryphicis depictis hac exstant:

Nobilis es, Virtute satis, generosus & arte

Ingenio, dextra, nobilis ergo sat est.

Gry-



Gryphus hic noster, singulari gratia & indulgentia Principis & Ducis Lygio Bregensis intercedente Capitaneo Regio Cæsareo Lib. Bar. de Bibra & Modlau ceu Exul propter doctrinam Euangelii Extraordinarius Adjunctus Lohmensis constitutus est, ita tamen vt saltem ouibus dispersis suis Euangelii eo Tempore verbum diuinum in Templo Lohmensi prædicaret & sacramenta administraret, quo Pastor Loci Ordinarius sacrum in altero Kreybenfi Templo officium obiret.

Sepultus jacet in Cœmeterio Lohmensi sub Saxo Sepluchrali, anno emortuali 1671.

II.

M. Theophilus Feige, cujus vitam supra sub Titulo Pastorum recensuimus, Ordinarius post Gryphum Adjunctus factus est. Huic successit.

III.

Melchior Tschenscher, *Haynouiensis*, ordines ad munus sacrum accepit An. 1686. postea ad Past. in Rüstern prope Lignitium vocatus & ibidem sepultus.

IV.


Christianus Selbstherr, *Lignicensis*, An. 1693. vocationem huc accepit & An. 1703. Goldbergam vocatus his Ecclesiis valedixit.

V.

M. Gottfried Feige, qui supra jam A. 1699. Patri substituebatur, Patre Pastore, Selbstherrio Adjuncto.

VI.

M. Joh. Friedrich Hollstein, *Lignicensis*, e Familia illustri natus An. 1678. d. 10. April, Ordines accepit ad Offi-



cium Diac. Kreybensis Anno 1704. d. 10. Febr. mortuus hic
An. 1709. d. 15. April. Vir singularis Eruditionis ac Pietatis.
Positum ei extat in Cœmet. Kreybenfi Epitaphium:

Fuit hic noster .Hollsteinius Contubernalis quondam
desideratissimus Venerab. Scharffii Theologi Schwidnicen-
sium celeberrimi.

VII.

Zacharias Lange, natus Friedebergæ, ad Quissum Anno

- - - Litterarum fundamentis mature perceptis ad Lipsien-
sem abiit Academiam ibique studiis peractis in patriam redire
coaetus, nobilissimæ juuentuti Illustris Lib. Baronis de Die-
bitsch in Mertzdorf præfectus per aliquot annos in erudienda
illa omnem nauavit operam, postea Anno 1709. post mortem
Holstenii Diaconatum Kreybenssem & AltLomenseni ad-
eptus cui postquam summa cum laude viginti fere & septem
annos præfuisset in patriam cælestem non siue luctu totius
ecclesiæ migravit Anno 1736. Vir modestiæ, eruditionis ac
pietatis eximiæ, quem adhuc Kreyba luget. Epitaphium ab
vxore nunc etiam beata in ipso aditu templi Kreybensis ad
latus sinistrum positum adspici poterit.


VIII.

Nunc me tangit Ordo inter Præcones Verbi diuini Krey-
benses, Me,

M. Adamum Godofredum Thebesium, honestis Pa-
rentibus e stirpe Sacerdotali quod attinet Auos & Proauos
naturæ, Patre vero ADAMO CHRISTIANO THEBESIO
Medicinæ Doctore ac Physico Hirschbergensi Thermarumque
vicinarum & Academ. Cæsar. Leopold. Carolin. Nat. Curios.
focio Matre JOH. REGINA nata GLAFEYNIA.

Studiis elegantioribus operam dedi in Lyceo Patrio
Hirschb. & in Gymn. Elisab. Wratisl. sub moderamine Excell.

Krantzii




Krantzii, studia Academica ab Anno 1732. Lipsiæ profecutus, 1735. numero Magistrorum Lipsiensium adscriptus sum. Vix in Patriam rediens A. 1736. Mense Februar. a Generosissimo Equite Carolo Henrico de Festenberg Packisch nominato, Colatore ac Patrono harum Ecclesiarum vnico, Tabulas Vocationis ad Diac. Kreyb. & AltLohm. accepi, vbi Ordinibus Sacris Lignitii eodem anno acceptis Festo Incarnationis Seruatoris officium sacrum aggressus sum. Tandem quinquennio hic peracto, communi Cœtus Euangelici in Thermis Hirschberg. suffragio, Primus sub Regio Borussicæ Silesiæ scepro iterum Pastor An. 1742. electus & ab Illustrissimo Domino ac Comite S. R. I. Carolo Gotthardo Comite de Schaffgotsch vocatione rite impetrata, ipso S. S. Trinitatis Festo verbi divini dogmata puriora publice docere incepti.

IX.

Godofredus Dührig, *Wintzig. Sil.* mihi in Diaconatu Kreybenfi successit eodem an. 1742. Vir integer doctrinæ ac Vitæ, qui literarum fundamentis in Gymnasio Lignicensi perceptis An. 1738 ad Lipsiensem Academiam abiit, ibique per aliquot annos studiis Sacris incubuit: tandem reuersus in patriam post abitum meum Diaconus Kreybenfis & Altlohmenfis factus, cuius Numen Diuinum conatibus sacris benedicat!

Nihil amplius restat, quam vt Vobis Fautores ac Amici, Viri summopere Colendi Tibi *Plurimum* Reuerende FEIGI & Tibi Admodum Reuerende MICHAELIS, Vobis inquam, quibus potissimum sacrum esse volui isthunc laborem, publice testatum faciam, me nihil habere prius nihil antiquius vestro paterno fraternoque fauore. Hunc scilicet dum adhuc inter nos studiorum locorum & officiorum vna erat eademque æmulatio, conjunctio ac familiaritas satis superque expertus sum. Quem vero quia mihi subtrahere DEO ita fuit visum



ob loci distantiam Vestra recordatione continua resarciri volui istud damnum. Dabo ergo remunerationis loco, quicquid in meis positum esse intelligo viribus, chartacea scilicet munera, calidasque preces.

Faxit DEUS ter optimus, Terque Maximus, vt *VESTRA INNOUATA CONSANGUINITAS, AMOR FIDESQUE CONJUGALIS*, ita sint munita vt culmina veri animi corporisque delectamenti, christianisque permissæ voluptatis & gloriæ Majorum attingant. Seruet vos DEUS Ecclesiæ orbique erudito in emolumentum atque ornamentum. Seruet bonis omnibus, mihi præsertim meisque, quibus, vt amorem Vestrum, quo gauisi sumus hætenus & imposterum exhibere non dedignemini, enixis efflagito precibus! Ita viuite Fautores Optimi! Valete iterumque valete!

Dabam e Thermis meis ὡς τάχιστα d. 16. Octobr. A. O. R. MDCCXLIII.

